

Vd  
3280







Vd  
3280





1.731





A D

F A M A M  
 IN ADVENTU  
 S E R E N I S S I M I  
 P R I N C I P I S

**F**RIDERICI  
 CHRISTIANI,  
 AUGUSTI III.  
 SARMATIÆ REGIS,  
 ELECTORIS SAX:  
 PRIMOGENITI.

---

VIENNÆ, Typis Joannis Petri van Ghelen, Sac. Cæs. Regiæque  
 Majestatis Aulæ, & Universit. Typographi. 1740.



AD  
 F A M A M  
 IN ADVENTU  
 SERENISSIMI  
 PRINCIPIS  
 FRIEDERICI  
 CHRISTIANI  
 AUGUSTINI  
 SARMATIAE REGIS  
 ELECTORIS SAX  
 PRIMOGENITI



ALBANE, Typis Joannis Petri van Ghelen, Sac. Cae. Regiae  
 Majestatis Aulic. & Universit. Typographi. 1740.







## ELEGIA.



**S**Egnis es ; adventum parcas prævertere : segnes  
Ad properum pennas esse quereris iter.  
Es minor ; abstineas animis inflare , minores  
Ad laudem inflatas experiere tubas.  
Si nifu alarum speras præcedere Stella  
Saxonicæ adventum , spes tibi vana subest.  
Totius Italiæ suspiria sparsa per oras  
Hoc tibi jam pridem præripuere decus.  
Protulit affectus , variosque invexit in omnes  
Ausonias urbes , quas FRIDERICUS adiit :  
Quas adit , ingenerat plena illis gaudia , quasque  
Non adit , invidiæ flamma probanda coquit.  
Latitiam adveniens porro velut intulit illis :  
Mæstitiæ excedens sic quoque causa fuit.  
Haud aditæ livent aditis a Principe terris ;  
Susplicere Europæ quod meruere decus.  
Haud aditis livent aditæ ; quia perdere Sidus  
Non doleant , cujus lux sibi visa fugit.  
Undique sunt ergo lacrymæ , suspiria , fletus ;  
Ex Italis nostras qui subiere plagas.

) 2

Ex-



Excipit Italiæ luctus Germania plausu  
Indice jam Sidus rursus adesse suum.  
Ergo, Fama, sile, reditum neu Principis edas ;  
Huic operi pennas abstinuisse juvet.  
Præfloravit opus planctu terra Itala ; plausu  
Teutonis, affectus utraque fassa suos.  
Nec minus est frustra, parcas huic, Fama, labori,  
Principis in laudes increpuisse tubas.  
Dic mihi : quid lituis studeas vulgare, velisque ;  
Judice te, meritis quin videre minor.  
Dicere vis, credo. Juvenum quod gloria, quodque  
Sit decor & virtus & FRIDERICUS honor.  
Es minor : accipias tali sub flore juventæ,  
Quot fuerunt prisco tempore, quotquot erunt.  
Tum vitia his adimas, virtus sit & una superstes :  
Hinc juvenem condas, & FRIDERICUS erit.  
Quælibet ut virtus collecta ex omnibus ergo  
Saxonicum Sidus composuisse potest ;  
Sic etiam Illius virtus partita viritum  
Innumeros juvenes excoluisse valet.  
Principis illimes lituis intendere mores  
An studeas ; infra es, Fama, silere potes.  
Quotquot in hanc partem præconia dixeris, esse  
Moribus advertes inferiora suis.  
Dic quodcunque placet ; quidquid dixere priores  
Principibus prisca, depopulere, sinam.  
Saxonicæ Stellæ tum furta hæcingere laudum :  
Non meus hic Princeps, at minor alter erit.  
Eminet : infantes laudes excedit & Ille :  
Sic tuus omnis erit nisi hiulus, inops.  
Laudibus exiguis ergo juveneris oportet :  
Immodicis mores dum celebrare putas.

An



An Juveni Heroi pietas quæ plurima fulget,  
Innumeris linguis expediisse libet?  
At ludes operam: veræ probitatis imago  
Ceu meus est Princeps, sic negat ore cani.  
Inde fit, ut laudum cumulo tum dignior extet:  
Cum magis enixâ rejicit hæc manu.  
Quid poteris magni porro tu dicere, majus  
Quin fuerit tritum cuncta per ora prius?  
Saxonides sacros quoties succedit in ædes,  
Fit sibi dissimilis, quilibet hospes adest.  
Ejus ad aspectum populus sese exigit omnis:  
Et pius evadit, qui modo liber erat.  
Et qui discinctus fuerat, penitusque supinus,  
Tunc rogat; atque loquax qui fuit ante, filet.  
Ejus ad exemplum quoties suffusa profana  
Non modo gens, verum sacra rubore fuit.  
Ergo novi quid, Fama, feres? i, templa subito;  
Saxonis implevit quæ pia Stella prius.  
Accipies illic, quidquid vulgare parabas;  
Atriaque ipsa tibi, postis, & ara canent.  
Suscipiesne tubis humiles expromere sensus,  
Et quam personam Principis Ipse tegat?  
At tibi quis credet: renuit sibi credere quando,  
Qui propriis oculis Illius acta videt?  
Is videt accessus faciles, vultusque serenos,  
Quique habitus comi semper in ore sedet;  
Sermonumque vices hilares, lususque modestos,  
Communesque sales, explicitasque genas.  
Et videt, & minime credit sibi vera videnti:  
Et rhombos oculis ducit obesse suis.  
Nec sibi persuadet; quod tanto in Principe Princeps  
Nullus, & assiduus quod FRIDERICUS adest.



Exerit aspectum, Majestatemque verendam  
Principis e latebris evocat ille finus,  
Tum modo, cum quivis ejus, sacrae sub æde  
Labitur; aut dignum, quod refecetur, agit.  
Fallor an imprudens? siquidem velut omnia templa  
Sunt sacra: dicenda est sic sua sacra domus.  
Accidit hinc nunquam tam casto ut Vindice coram  
Culpa sit aspectu discutienda gravi.  
Ejus ab exemplo præfens est quisque docetur:  
Quæ videt, illa probat; quæ probat, inde facit.  
O felix Princeps! cujus pietatis imago  
Obtinet; ut pietas, quâ micat ipse, micet.  
Et felix pietas! cujus tam magna potestas;  
Ut faciat mores esse, quod illa monet.  
An vero has dotes lituis committere speres,  
Fama, nec his titulis succubuisse minor?  
Incidet at menti ferme tibi, dicere posse:  
Saxonici largam Principis esse manum.  
Nam dare sit quamvis virtus longè inclyta: verum  
Obvia divitibus difficilisque parum est.  
Næ fama infans plusquam solemnia; dextræ  
Munificæ dotes expediisse rata.  
Falleris: est dandi virtus velut inclyta; juxta  
Invia divitibus difficilisque nimis.  
Non sedet in dextra, sed dantis pectore virtus:  
Mens jubet, in dando munere serva manus.  
Est index animi donum, non certus at index:  
Est nota, sed media est inter utrunque nota:  
Non decor est Regum clamys, ast insigne decoris:  
Nec facit: at Reges prædicat illa modo.  
Sic quoque munificum nullum sua munera reddunt:  
Munifici at sensus explicuisse solent.

Mu-



Munificus plane est, prompto qui pectore dona  
Consona vel merito, pauperieque dedit.  
Qui non exoptat sua vendere dona pudore,  
Nec vectigales muneris esse preces.  
Quem dantem mora nulla tenet: vel si qua, ruboris  
Est tantum illius, qui sua dona cupit.  
Quique ut tormentum, faciunt quod vota, remittat,  
Occupat hoc dono, multiplicatque datum.  
Fallere qui quærit, fingens debere roganti;  
Hinc tacito condit munera muta sinu.  
Nec tantum id citra factum: quin gratia talis  
Additur, ut potius quam dare, ferre putes.  
Qui simul ac partes istas absolvit ad unguem,  
Amplius est doni non memor ipse sui.  
Præter & ingrati vitium si pectoris effret:  
Vellet, ut accipiens immemor usque foret.  
Hæc porro enodis virtus tibi, Fama, videtur;  
In medio ad quasvis quæ solet esse manus?  
An magni est operis virtus, magnique laboris;  
Gordius an nodus, captus & aure lupus?  
Hanc adeo exercet lepide FRIDERICUS: ut illam  
Non partam, ingenitam duxeris esse Sibi.  
Si speres hæc, Fama, tuis committere; speres  
Et clavam Alcidae tollere posse Lycam.  
Ah cesses igitur, cesses, & lava libido est  
Si sibi susceptis personisse tuis.  
Id reboa, id nunquam parcas celebrare per orbem:  
Audiat & voces axis uterque tuas.  
Sum minor, ut libem laudem de millibus unam,  
Non modo contentum, quem FRIDERICUS habet.  
Copia si nulla est unam perstringere plausu,  
Virtutumne chorum concinuisse queam?

Er-



Ergo abeas, o Fama. Veni, ter maxime Princeps,  
Sanguinis Augusti lumine, corde, manu.  
Ocyor at venias, Famâ potes ocyonire;  
Spes tamen ad nostras est tua tarda via.  
A desiderii pennis spes vecta per auras  
Obvia fit passim nam Tibi, Teque præit.  
Te sequitur mœrens, alias ubi tendis in Urbes,  
Ad nos nec recto tramite carpis iter.  
Ah properes! siquidem sparsum quod cernis ubique,  
Id Tibi congestum sola Vienna dabit.  
Rumpe moras, aperi falsæ mendacia Famæ:  
Nam prope detraxit, dum celebrare parat.  
Fac precor; ut norint omnes, quod grandia quamvis  
Rettulerit, fuerat Fama futura minor.  
Præ reliquis titulis, quibus excelsissimus extas,  
Creditus est semper grandior ille mihi.  
Quod Tu quos usquam populos accesseris hospes,  
Clarius accideris, quam tua Fama tulit.

*In demississimi obsequii documentus*

FRANCISCUS MARIA CÆSAR  
D. D. D.



No. 3280 Ga

n.c.









ULB Halle 3  
007 661 800



V578









A D

F A M A M  
 IN ADVENTU  
 S E R E N I S S I M I  
 P R I N C I P I S

**F**RIDERICI  
 CHRISTIANI,  
 AUGUSTI III.  
 SARMATIÆ REGIS,  
 ELECTORIS SAX:  
 PRIMOGENITI.

VIENNÆ, Typis Joannis Petri van Ghelen, Sac. Cæs. Regiæque  
 Majestatis Aulæ, & Univerfit. Typographi. 1740.

